

612. 117



SERRI

Opera

OMNIA

.6.

BX890
.S3
1770
v.6
c.1

R. P. HYACINTHI SERRY

Ord. Præd. Doct. Sorb. & in Patavino Lyceo
S. Theol. Profefs. Prim.

OPERA OMNIA:

*Quorum nonnulla adhuc inedita, plura secundis curis ab
ipsomet aucta & illustrata*

IN SEX TOMOS TRIBUTA.

PRÆTER PRÆFATIONEM, ET VITAM AUCTORIS

ACCEDUNT

Cl. Virorum in ejusdem opera Animadversiones.

TOMUS SEXTUS.

EA CONTINENS QUE SEQUENS
PAGINA INDICAT.



LUGDUNI MDCCLXX.
SUPERIORUM PERMISSU.

PROSTANT VENALES VENETIIS
APUD SIMONEM OCCHI
IN VIA MERCATORIA SUB SIGNO ITALIE.

46225



R. P. HYACINTHI SERRI

Ord. Præd. Doct. Sorb. & in Patavino Liceo
Theol. Præf. Prim.

OPERA OMNIA

Quædam hominibus adhibere, quædam secundis curis ad
hæc omnia & illustrata

BX890
.53
1770

IN SEX TOMOS TRIBUTA

THEATRUM BAPTISTONEM ET ULTIMA AUCTORIS

ULTIMA OPERA ANTONIO SERRI

TOMUS SEXTUS

MA GONFRONTIUM LIBERUM
FACILE INDICAT



OPERA OMNIA

THEATRUM BAPTISTONEM ET ULTIMA AUCTORIS

ULTIMA OPERA ANTONIO SERRI

OPERA

In hoc Sexto Tomo comprehensa.

I.
I.
Constitutio responsi Epistolari a Gabriele Daniele Societatis Jesu ad Primarii Academiæ Patavina Theologi Litteras dati, qua singula ejusdem Responsi capita continuata serie refelluntur. 1

VIII.
IX.
Observationes Censorie in Libellum, cui titulus est: Juris naturalis & gentium Doctrina Metaphysica asserta a Fratre Nicolao Concina Ordinis Prædicatorum, Metaphysica Professore novissime publicarum. 240

II.
II.
Divus Augustinus Divo Thoma, ejusque Angelica Scholæ secundis curis Conciliarius in Questione de Gratia primi Hominis, & Angelorum. Editio multo auctior, magnaque rerum accessione illustrata, & contra nonnullos obscuros prioris impugnatores vindicata, asserta, confirmata. 15

X.
X.
De Monachatu Benedictino D. Thome Aquinatis apud Casinenses, antequam ad Dominicanum Prædicatorum Ordinem se transferret, Historica disquisitio. 243

III.
III.
Vindicia Vindiciarum Ambrosii Catharini: seu de necessaria in perficiendis Sacramentis Intentione, Theologica Dissertatio contra Domesticum Impugnatorem, vindicata, defensa, confirmata, magnaque rerum accessione novissime & aucta, & illustrata 67

XI.
XI.
F. Jo. Fran. Bernardi Mariæ de Rubis adversus Monachatum Benedictinum Divi Thome Aquinatis apud Casinenses, antequam ad Dominicanum Prædicatorum Ordinem se transferret, Dissertatio. 263

IV.
IV.
Suffragia Censoria in causa V. F. Sebastiani ab Apparito, Pyrausæ Vulgo dicti. 121

XII.
XII.
Specimen Historiæ Venetæ Joannis Gratiani Editum a Collectoribus Lipsiensibus, Noris Auticriticis castigarum. 291

V.
V.
Græci Theologi de Christo Pascha suam præmature, atque in pane fermentato celebrante Dissertatio, a Theologo Latino Censoriis notis dispuncta, & consutata. 175

XIII.
XIII.
Oratio Funebris habita in Ecclesia SS. duodecim Apostolorum de Urbe occasione Exequiarum Eminentiss. ac Reverendiss. Fr. Laurentii Brancati Cardinalis de Laurea ab admodum R. P. S. Theol. Magist. Fr. Hyacinto Serry Doct. Sorbone Ord. Prædic. 296

VI.
VI.
Melchioris Cani Vindicationes, ad instar Prologi Galeati, quibus nonnullorum in ejus Libros de Locis Theologicis accusationes refelluntur. 191

XIV.
XIV.
Oratiuncula XIV. habita Patavii, dum Lauream Theologicam Candidatis conferebat. 300

VII.
VII.
Juris Naturalis, & Gentium Doctrina Metaphysica asserta. Disputatio habita in Gymnasio Patavino a Fratre Nicolao Concina Ordinis Prædicatorum e Congreg. B. Jacobi Salomonii Metaph. P. P. O. Mense Novembri. 213

XV.
XV.
Carmina quedam &c. 307

XVI.
XVI.
Difesa del Giudizio formato dalla S. Sede Apostolica nel dì 20. Novembre 1704., e pubblicato in Nankino dal Card. di Tournon, alli 7. Febbrajo 1707. intorno a Riti, e Cerimonie Cinesi contro un Libello sedizioso Intitolato: Alcune riflessioni intorno alle cose presenti della Cina. A cui vengono annesse tre Appendici contro le tre Scritture latine ultimamente stampate dalli Difensori de' medesimi Riti condannati. Opera di un Dottore della Sorbona trasportata dal Manuscritto Francese da un Religioso Italiano. Defenso Judicii &c. 311

XVI

Le Mahometisme rolève par les Jesuïtes dans l'Isle Chio 1711. 410

XVII

Contra-Risposte, o siano esami di tutte le Scritture pubblicate dai Prorettori de' Riti condannati della Cina intorno ad un fatto accaduto in Scion nell'anno 1694. e riferito come di passaggio in aggiunta alla seconda Edizione della difesa del giudizio formato dalla Santa Sede Apostolica. 415

XVIII

La Calunnia Convinta, cioè Risposta ad un Libello pubblicato da' Difensori de' Riti condannati della Cina. Sotto il titolo di Lettere d'avviso d'un buon amico, al Dottore di Sorbona, Autore della Difesa del Giudizio formato dalla Sede Apostolica, ec. 481

XIX

Atti della controversia Letteraria insorta in Padova tra alcuni Professori di quel famosissimo studio per causa dell'Epirafio del Signor Conte Daniello Anronini seppellito in Coro di S. Agostino dell'Ordine de' Predicatori. 511



CONFUTATIO
RESPONSI
EPISTOLARIS
A GABRIELE DANIELE
SOCIETATIS JESU
AD PRIMARIÏ ACADEMIÆ
PATAVINÆ THEOLOGI
LITTERAS DATI,

Qua singula ejusdem Responsi capita continuata serie refelluntur.

LECTORI MONITUM.

NE quid tibi, inter legendum, subobscurum occurrat, si minus enata Danielelem inter & me concertationis initia noveris, hæc tibi paucis habe.
Sextus decimus mensis est, ex quo Divum Augustinum a calumnia vindicatum publici juris feci, adversus Joannis Launoi Theologi Parisiensis, e vivis dudum erepti, Traditionem, factu posthumo recens editam; qua summus Prædicationis & Gratia Doctor in invidiam vocabatur, quasi repudiata Majorum fide, in extremos errores abiisset.

Tertio post mense, prodit ejusdem Launoi Epistola, ex Elysi ad Generalem Societatis Præpositum data: qua Augustini abs se traducti culpam, Societatis Theologorum exemplo, depellere nitentur: nihilque idcirco toto ferme Libello scriptum ostendebat, quod ab iis summa fide non delibasset.

Daniel, publicatis ad vagæ probabilitatis, & æquivocorum defensionem opusculis, Literarum Republica notus, visa Epistola, cujus me suspicabatur auctorem, esset vehementius. Cumque nihil, quo suos ab illata Augustino calumnia vindicaret, opportunum occurreret, in scripturam innocuam vertit iras; adornataque a me Augustini vindicias sugillare aggressus est. Epistolam Generali Prædicatorum Præposito inscriptam vulgavit, qua varia de me expositulabat; inter quæ potissimum illud erat, quod pagina 23. Augustini a calumnia vindicari propositionem hanc uti catholicam propugnasset: Homo lapsus indeclinabili & insuperabili gratia eget, ut bonum agat, ob eam naturæ infirmitatem, in quam primi parentis peccato incurrit. Calviniani, ac Janseniani erroris virus hac assertionem contineri dicebat; multaque idcirco in me probra, atque convicia jaciebat.

Inconsultum accusatorem responsionis honore dignatus non est Præpositus Generalis. Respondi ego, cujus res agebatur. Singula criminacionis capita dispuncti, destinata Danieli Epistola. Ad id vero quod præcipuum fuerat, tria reposui. Primo, Propositionem, in qua Calvinianum ac Jansenianum errorem inepte locabat, Augustini ipsius esse, sin minus singulis omnino verbis, at iis saltem, unde cavillandi ansam arripiebat. Sic enim habet Sanctissimus Doctor Libro de correptione & gratia cap. 12. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, UT DIVINA GRATIA INDECLINABILITER AGERETUR: & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Secundo, Propositionem in suspensionem adductam, ex me ipso assertam non esse, nec a suis adjunctis avulsam; sed a me ipso dictum Augustinianum, a Launojo, quocum mihi res erat, temere sugillatum, quo sensu ad Augustinum asseritur, vindicatum. Tertio, Propositionem hanc si cui forte cavillatorum pateret invidiæ, (ne rejiciendæ gratiæ potestatem inficiari videatur,) raris Scholæ interpretamentis emolliiri posse; quæ alie non paucæ parvis formæ Scripturarum & Conciliorum assertiones emolliuntur. Hæc, quod præcipuum criminacionis caput attinet, data a me Epistolæ summa fuit.

Daniel, ne susceptam semel causam silentio perdere videretur, novos acuit ignes, alteramque mihi ipsi inscriptam Epistolam dedit: ac multis (quæ malorum litigatorum ars est) faceris, conviciis, ac probris insarsit: quam hic ego confutandam aggredior. Quid in hac scriptum legatur, non est cur in antecessum admoneam, quo tibi ejusdem confutatio plana fiat. Eam quippe in scribendo methodum tenui, quæ cuncta tibi illius capita ob oculos poneret. Quamquam porro gallicam linguam Daniel affectavit, latinam nihiloscilicet usurpabo; quod hæc agnandis Theologicis controversiis congruat magis, nec ita, quibus dego terris, peregrina sit.

AD OMNIA ME TIBI RESPONDISSE, ET OMNIA REFELLISSE, PUTO QUOD PERSPICIS, SI PERVICAX NON SIS.

S. Augustinus Lib. 6. contra Jul. cap. 26.

CONFUTATIO RESPONSIS EPISTOLARIS A P. GABRIELE DANIELE SOCIETATIS JESU AD PRIMARIAM ACADEMIAM

PATAVINÆ THEOLOGI LITTERAS, DATI.



Uti ad umbilicum Thomisticae Scholæ vindiciis, (*) incidit in manus expectata pridem Epistola, qua nostræ tibi ante menses aliquot destinatae respondes. Attente legere ceppi, scire avidus, quid contra factam afficti mihi erroris expurgationem, pro instauranda criminacione reponeres: maxime cum statim ab initio (a) Lectorem magna expectatione suspendas, pugiones jacies, virtutem prædicæ, meque nova impressione obruendam, Trafnis ostentatione denanties. Verum absoluta Lectione, pugiones plumbeos, linguam futilem, conviciorum acervum, vanamque jaclantiam deprehendi: eaque mihi certa mens ferit, te haud alia mente, quam ne victus silentio videreris Epistolæ meæ rescripisse; minusque Augustini dictum, in Juliano os tam frequenter illisum, animo reputasse: Hoc non est respondere, quod est non tacere.

Vix enim constata mihi nuper accusationis caput leviter attigisti, nonnulla mihi fidenter affingens, ac tecum ipse intra paucas paginas aperitissime pugnas; modo me a laqueis, utcumque potui expeditum inquires, modo me magis magisque inductum in laqueos; nunc factum tibi satis a me dato responso, nunc gravi me atque insuperabili difficultate distentum obtendens: cum statim cæteras propositiones meas, in invidiam ante traductas silentio mittens, nihilque ingerens novi, quo pristinam criminacionem instares, ad minutias & adjuncta divertis: tum vero de calcaria, ut in proverbio est, in carbonariam digredieris, instituto de primis sacrae Ethicæ corruptoribus prolixo sermone; ac veluti defultorius in quadrigarum curriculum, ut Tullius aiebat, incurris (b) O disputare! O probare promissa! Ostende promissa, quid pergis in vacua? Quid deludis expectationem nostram, neque exhibes sollicitationem tuam.

Quapropter ne in idem vitium incurram, si te de via tam enormiter declinantem vestigiis insequare, calcemque, ut dicitur, calce teram; memet intra instituta controversiæ terminos continebo: missaque aut certe leviter perstricta, portentosa illa, quæ dimidiam responsionis tuæ partem excedit, de probabilibus opinionibus digressionem, quæ me meaque scripta nihil attingit, in-

Serry Tom. VI.

stitutum unice persequar: quæque ad fructum mihi calumniam attingit, dato ad singula capita brevi responso, (est forte nil opus fuerat) refutabo. Quam in adornatis Thomisticae Scholæ vindiciis viam institui, hanc porro tenere pergam. Utque tuam tibi scenam ob oculos ponam, Epistolam in pauca contractam per partes integra serie representabo; suamque cuique confutationem subjiciam.

Interea Lectorem veri ac pacis amantem admoneo, quin etiam sanctæ ac religiose profiteor, me, quidquid demum pro tricandi libidine reposueris, stylo in posterum parciturum; satis mihi consultum putans, si publico satisfecerim. Tædet enim pigetque, eandem integro ævo incudem tundere, ut hominem refractarium ac presidentem, nihil nisi canoras nugæ objicere solitum, iteratis Scripitionibus onerem. Id si cordi habes, ut me forte ab institutis studiis avoces, quin id ipse si velim, non illi, quæis studiorum meorum rationem reddere cogor, utique patiantur. Jam ad institutum accedo.

I.

Lectorem prologo (c) mones, nihil te ab Ordinis Prædicatorum Generali Præposito, ad datam pridem Epistolam accepisse responsi, quod hac forte fortuna in Typographi manum incidisset, a quo typis vulgata fuerat.

Egregie sane inceptas! A putido mendacio non dicam, horres enim, at, quod innocuum Opusculo doces, ab æquivoco menteque restricto verbo initium facis. Malum omen, quod an multam tibi ab exordio conciliet fidem, haud satis scio. Quin agente te ipso, aut certe volente typis edita sit, Præposito Generali inscripta Epistola, nemo dubitat, qui prima ejusdem exempla a te ipso tuisque Luteciæ distributa vidit, ac peno momento circumquaque disseminata. Nec ambigunt Romanæ Curia Principes Viri, qui eodem deferente Curfore, transumpta typis edita receperunt, quo Autographum ipsum tuum Generali Præposito redditum est. Hinc scilicet a te cuncta, aut certe tecum, ex condito ac meditato consilio facta, nemo non sensit. Utcumque tamen res illa se habeat, hariolaris ac vatem agis, dum hanc negati tibi responsi causam obtendis. Dabo certam ac minime dubiam: nempe quod omnia abjecta honesti speciei, me probris ac maledictis incess-

A 2

(*) Contra ejusdem Danielis Tractatum de gratia efficaci. (a) In Mexico ad Lect. (b) Aug. lib. 3. contra Julian. (c) Pag. 1. 2.

essetis. Si fidem detrahis, authentico scripto convincam.

I I.

Futurum ominaris (a) ut me neglecti inter scribendum officii atque honesti aliquando poeniteat.

(b) Cultor justitiae, rigidi servator honesti, est tibi profecto quod plenam humanitatis & officii scribendi rationem gratuleris; quod multum de comitate te ames, tibi que de honestis moribus plaudas? Scilicet quod te professum vitiligatorem, & aequivoorum (quae publico scripto doctissimi) Magistrum (c) data Epistola vocitarim, me modo furibundum, novatoribus ac rebellibus federe junctum, ab haereticis seductum, suspecta doctrinae virum, Religiosi Instituti probrum ac dedecus, pro summa humanitate compellas. Haec tibi honesta dicta, mortalium humanissime, ut me neglecti inter scribendum officii atque honesti peramanter admoneas. Hi tibi congenita comitatis stoculi, ut religiosam, quam exui, simplicitatem exemplo doceas. Hi tibi suaviloquentiae ac lenitatis molliti globuli, quos fuorem meum delinire, ac demulcere contendis.

Abiit ut parem in scribendo humanitatem affertem, & abs te modestae ac comitatis exemplum capiam; ne quod me dicis esse, re ipsa fierem. Hieronymo magistro ac monitatore uti malim, ut probis licet atque conviciis laeseris, discam non repungere. Nihil enim, ait ille Epist. 65, causa prodest maledicentibus remaledicere, & adversarios talione mordere; quibus praecipitur malum pro malo non reddere, sed vincere in bono malum, satvari opprobriis, & alteram verbosam praebere maxillam. Non ergo vicem rependam, sed illatis famae vulneribus manum duntaxat admovebo, tuaque probra simpliciter dissipabo.

I I I.

Dato Lectoris monito, officiosa salutatione (d) Epistolam auspicias. Datum tibi, inquit, a Praeposito Generali Epistole meae respondendi negotium gratulor. Quod apud illum geris in praesentia Scribae munus decet te multo melius, quam quod apud Lauanojam in Campis Elysiis gessisti nuper, neque ad aliorum Ordinis tui munia certo provehatur.

Inepta plane gratulatio. Neque enim Praepositi nomine scripti, ut has mihi partes ab ipso impostas dicere possis, sed a me ipso: nec in concinnando Responso, Amanuentis ac Scribae officio sanctus sum apud eum, quem praemissa monitione, nullo te responsionis honore dignatum fateris. Eia tamen, quod mihi gratularis Scribae munus honori duco, & officiosam salutationem accipio. Id unum dolet, nondum mihi datam a te, pari tecum gratulationis officio certandi occasione, quae necdum Praepositis tuis, ut quid Lauanojanae Epistolae rescriberetur, necessarium calamum commodasti. Num eo te Amanuentis officio apud illos defungi aliquando contingeret, (quippe Propheta non sum) divinare omnino non possum: id tamen & mihi & universae Reipublicae Litterariae certo persuasum, eo te munere, dum de aequivoicis ac probabilibus scriberes, apud nuper extractum Praepositem Generalem (e) tuum minime functum esse. Haec enim quantum amas ipse ac probas, tantum ille habebat odio: nec spes erat, ut adornatis a te

hoc de argumento Dialogis & Opusculis, fortuna tibi ac dignitatis in Societate, si penes illum sterisset arbitrium, accessio fieret.

I V.

Pergis meque bono verbo compellas (f) Abs te mihi de praecipuo expostulationis meae capite factum est satis. Haud ita morosus difficillique sum adversarius, nulla ut me consummelis affectum excusatio delinias.

Plagosum Orbilius, austeri supercillii nube posita, terribitos pueros recreantem de tua voce recognosco. Sic enim olim, dum in Grammaticae Scholis infantia mea reptaret, si quo forte lapsae latinis vitio Ludi-magistrum irritassem, modo tamen die altera vendibilem scriptionem obtulisset, frontem ille confestim exporrigebat; utque meliora conarer, factum sibi jam satis inquebat, seque haud ita morosum esse atque difficilem, ut non tam bella scriptione molliretur. At vide tu, an qui tibi satisfactum a me tam ingenue profiteris, ita perinde famae tuae ac publico satisfeceris, audacisque criminatos notam eluseris, qui te victum aut dicis aperte, aut silentio fateris? De quatuor siquidem propositionibus, errorem fronte praerentibus expostulabas, data illa tua ad Praepositem Generalem Epistola, caelumque terrae miscebas: modo scripto refutatus, de prima, qua potissimum stabat criminationis tuae caput, factum tibi satis agnoscis; de caeteris ne verbum quidem habes, quo dicta confirmes. Injiciebas, quae dudum in vulgi fabulam venit, Janfenismi suspensionem, ex tacito (ut effatias) a me Janfenii nomine, minusque, ut tibi quidem videbatur, ac curata Janfenitarum a me data definitione. Gemina ego dilui conjecturam. Quid tu modo? Utramque silentio premis, aliasque dividens, quas postea propulsabo. Addebas, proculum a me absonum paradoxum, de Luthero atque Calvino a suis in praesentia deserto, deque emollitis priorum Reformatorum, circa voluntatis arbitrium, aberrationibus. Rem totam ego illustrium Virorum suffragiis comprobavi. Quid tu jam? Ne hieis quidem. Tritas Scholae Thomisticae distinctiones, quibus nonnullarum propositionum duritia emolliri posset, a me neglectas objiciebas. Has usurpatas ostendi: nec tu quidquam in praesenti regeris in oppositum. Nonnulla Augustini temperamenta, praetermissa didiceras. Haec plenis paginis adhibita probavi; nec contra quidquam repois. Thomisticae Scholae proceres contenti ac depressi Augustini inculcabas. Crimen depuli: tu modo ne quidem mutire audes, aut verbum efferre, ut accusationem sustineas, ac defendas. Thomistas cum quinque famosarum propositionum defensoribus faciabas; aut certe ita illos sensibus affines inuacabas, ut inter nosci vix possent. Hos toto caelo bas, ut inter nosci vix possent. Hos toto caelo distare, tuorum suffragio demonstravi. Isthac surda praeteris aure. Cardinalis Perroni dicerium in Scholam Thomisticam jaciebas. Hoc tibi verbis accensendum ostendi; nec missitas, ut dicto fidem adstruas.

An ergo ita tibi propitium putas hominum genus, ut eis de tua Epistola satisfactum exitimes quae te, in omnibus alicujus momenti capitibus, silentio vidium ostendis; nec nisi peregrina sectaris, quae mota inter nos controversiae summam nihil attrinuat? Equidem subire mentem tuam cogitatio illa potuit, si illos de tota Epistola, ex una praemissa monitione iudicium laturos existimasti; quae missa monitione iudicium laturos existimasti; quae novum ac validiorem facturum impetum polliceris,

ceris, verbisque virtute iactas. At si integram lecturas Epistolam credidisti, unus tibi metus esse potuit, ne vanas pollicitationes tuas, inanemque iactantiam experirentur.

Age tamen videamus, quorsum tibi de praecipuo expostulationis capite factum satis, aut fatearis, aut fingis.

V.

Factum tibi satis ita (a) significas: Concedis primo Propositionem, quae mihi offensionem dederat, Libro tuo contineri. Secundo, hanc a te receptam esse atque probatam. Tertio, haud inficiaris, quod a me dictum est, Calvinistarum ac Janfenianorum neminem, tametsi sensibus ampliorum & audaciorum, reperiri, qui propositioni illi tuae absque circumscriptione, interpretamento, & exceptione non sponte subscribat: quod haec Calvini atque Janfenii, de gratia necessitatem inferrent, errorem aperte ac distincte continere. Quarto, Propositionem hanc totidem verbis in Augustino non haberi, fateris ultro. Haec tollendo scandalo plurimum jurant, quin etiam palinodie loco haberi utcumque possunt. Adde me post varios quosdam anfractus ac diverticula, propositioni in se ipsa spectatae damnationi subscribere: aegre quidem ac difficulter, vere tamen.

De voce Orbilius novetam paulo antea, nunc Thrafosem. Illud quippe gloriosi militis proprium est, ut cum se fufum fugatumque sentiat, submissis sibi fauces publice praedicet, ac multo quam antea gloriatur.

Ego quidem factum tibi satis existimabam, quod Propositionem erroris infumalatum, non tam meam, quam Augustini esse demonstrassem; si minus omnibus ac singulis quae constatur vocabulis & apicibus, at illis maxime, quae summa audacia tam turpem notam affricabas. Res enim patet ipsa per se se. Sic ego pag. 23. Augustini a calumnia vindicati: Homo lapsus indeclinabilis & insuperabilis gratia eget, ut bonum agat, ob eam naturae infirmitatem, in quam primi parentis peccato incurrit. Sic vero Augustinus Libro de Correctione & Gratia cap. 12. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut Divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur: & ideo quavis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. . . . Infirma servavit, ut ipso donante, invictissime quod bonum est vellent, & hoc desere invictissime nollent. Ecce enim propositione illa mea errorem contineri praedicabas? Non utique quod lapsum hominem egere gratia dicerem, ob contractam primi parentis vitio infirmitatem & corruptionem. (Quamquam si errorem iis in verbis posuisses, Augustinianae perinde propositionis summam ea censura petiisses.) In alia duntaxat verba, quae indeclinabilem & insuperabilem gratiam dixeram, tuus ille tam pius, tam sacer furor exarset. Hinc amarae tuae illae voces, irae, quarelae, Calvinismi ac Janfenismi liberales accusationes. At nunquid haec ipsa, velis nolis, tibi ingerit Augustinus, dum hominem Divina gratia INDECLINABILITER ET INSUPERABILITER agi contendit? Nisi forte ita refractarius ac pervicax es, ut diversam, quod Theologicum sensum attinger, adjectivis illis vocabulis significandi vim tribuas, quam adverbis: aliudque, iudicio tuo, sibi velit gratia in agendo indeclinabilis & insuperabilis, aliud gratia indeclinabiliter & insuperabiliter agens. Quamquam si Theologicam maiestatem in hunc Grammaticae ludum demittere velles, haud ita morosus essem, quin Augustinum hoc ipso

adjectivo nomine usum ostenderem, ut Divinae gratiae efficaciam indicaret: eodem videlicet Libro de Correctione & gratia cap. 8. Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem; & ut perseveret delictabilem perpetuam, & INSUPERABLEM fortitudinem. Basilium magnum adjicerem, (etsi non illum, sed Augustinum unum, dum ejus vindicias scriberem, in oculis habuissent) Sermone de libero arbitrio ita scribentem: Impossibile est propriis viribus offendicula versuti hostis vincere, nisi INSUPERABILIS Dei potentia occurrat.

Immo si variam vocum istarum significationem ac potestatem rimari liceat, veror maxime, ne mollius quam par esset, Augustinianae propositionis summam, uti mihi decretum fuerat, mea illa propositione reddiderim: neve, si quid forte in reddendo Sanctissimi Doctoris sensu peccavi, mollitie potius, quam, quae a te mihi (b) obijcitur, asperitate deliquerim. Qui enim gratiam efficacem indeclinabilem & insuperabilem, simpliciter dicit, haud satis aperte significat, qua demum ratione contingat, ut nunquam declinetur ac superetur: num ab externa destinatione eventuumque contentu, an ab adjunctis praeterea scientiae mediae lumine exploratis, an demum a congenita sibi flectendi arbitrii virtute ac potestate. At dum infirmam hominis voluntatem Divina Gratia indeclinabiliter & insuperabiliter agi pronuntiat Augustinus (c) hanc illi vim inditam aperitissime docet, ex intimo agendi movendique modo, quo infirmam voluntatem quocumque lubet inflectit. Ut hinc nemo non videat, me pro attendata utcumque Augustini sententia, Thomistica quam Moliniana parvis invidiam potiori iure subitum.

Alio ex capite factam tibi satis existimabam, quod multis ostenderim, descriptae propositionis scopum ac finem, caeteraque omnia scriptiois adjuncta, ita sensum ejus & intelligentiam figere, ut non aliam nisi Augustinianam notionem praese ferret. Cum hanc ipsam non ex arbitrio posuissim, sed uti Augustiniani dicti, ab Lauanojo temere fugillati, summam dedissem, productis parvis significationis ac formae Scripturarum & Conciliorum oraculis vindicandam: unamque gratiae se ipsa victricis significationem, gemino illo, unde tibi cordolium est, vocabulo, contineri declarassem.

Juvabat hanc de te opinionem meam, quod tritas tibi Scholae Thomisticae distinctiones subiecissim, quibus, si quid pravi sensus descriptae propositioni a te tique similibus obijceretur, (quasi haec resistendi potentiam neger) nullo negotio solveretur. Et quidem ni tu illas admiseris, pravisque sensibus amovendis pares agnoverris, Augustinianam non fecis ac meam propositionem habebis in vitio. Si enim dum inquis, gratiam efficacem in agendo movendoque indeclinabilem & insuperabilem esse, pravum sensum caufaris illico; nec me de potestate consequenti (qua nempe gratia efficacem nunquam re ipsa declinat ac superatur) locutum intelligis, ut inde affricandi mihi erroris ansam arripas: qui, quaevo, Augustini propositionem recipias, ac non illi pari libertate erroris notam inures: Homo Divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter agitur? Par enim in utraque propositione, imano in Augustiniana aliquantulum major verborum nervus, vis, ac potestas: ut plane, si adit ea villandi animus, negatae resistendi potentiae invidiam ex aequo subeat.

His ego factum tibi satis opinabar. Verum, ut

(a) Pag. 2. (b) Lucan. (c) Vide infra N. XI. (d) Pag. 5. (e) Tyfius Gonzales. (f) Pag. 6.

(a) Pag. 6. 7. (b) Pag. 5. (c) Pag. 1. 2.

ut video, mea me fecellit opinio. Non enim da-
is a me descripta propositionis probationibus at-
que vindiciis, tibi satisfactum ostendis; sed,
quæ tua jactantia est, retractatione ac palinodia,
quasi dictis non firmiter steterim, sed pedem re-
tulerim. Agedum, quæque subjicis commentitiæ
palinodia specimina perpendamus.

Primum atqueque tantum abest ut retracta-
tionis loco haberi possit, ut potius confirmati-
onis ac probationis. Quod enim propositionem,
quæ tibi stomachum movet, libro meo conten-
tam probatamque concesserim, quis, nisi cere-
brum in calcaneo gesserit, revocatam interprete-
tur?

Tertium, quod abnuoto duntaxat & inficiali
argumento constat, cavillationis atque calumnie
plenum est. *Haud inficiaris*, inquis, *quod a me
dictum est, Calvinistarum ac Jansenianorum nomi-
nem, tametsi sensibus amplioribus & audacioribus re-
periri, qui propositioni illi tæ, absque circumscri-
ptione, interpretamento, & exceptione non sponte
subscribat; quod hæc Calvinii atque Jansenii, de
gratia necessitatem inferrent, errorem aperte ac dis-
tincte continet. Quasi vero, id non inficiat?*
An ergo, si superis placet, quia non omnes ac
singulas prioris Epistolæ tuæ propositiones ac vo-
ces distincte ac separatim, dato peculiari respon-
so refutavi, probasse quascumque tibi libuerit,
reputabor? Aut forte non satis tibi videtur esse,
quod struæ calumnie summam & caput, quo
declamationes tuæ omnes unice tendunt, confuta-
rim ac retuderim; quod propositionem illam
meam, Augustinianam quam compendio reddebam
sententiæ medullarum complecti, perspicuum fecerim:
quod verba ipsa, in quibus hæreticam loca-
bas, ejusdem divine gratiæ vindiciis esse demon-
straverim: annon, inquam, id satis, ut hæc una
generali confutatione, voces illas omnes, calum-
nie & injuriæ plenas, respicere putandus sim? Id
si velis, Calvinianum & Jansenianum errorem in
Augustiniano dogmate locare convinceris. Quid
ergo illi tui subscripturi sint Jansenistæ, ac etiam
Calviniani, nec expendi tunc, nec moror hodie,
sed quid ipsa veritas habeat: quandoquidem &
illos Apostolico Symbolo subscripturos, hæc vana
fides; quod tamen idcirco in erroris suspicio-
nem venire non dices.

Addam obiter (quamquam nihil interest) mi-
nus te de tuis illis, quos nobis obrudis, Jansenis-
tis, ac Calvinianis congruenter & apte loqui,
dum ais, neminem unum ex iis inventum iri,
qui propositioni meæ absque circumscriptio-
ne, interpretamento, & exceptione (a) non sponte sub-
scribat. Si enim, ut ais ipse, in vindicanda effi-
caci gratia, non defectu, sed immoderatione pec-
cant; nec quod minus, sed quod amplius quam
par esset, gratiæ tribuant, in vicio sunt; illos
ergo propositionem, quam nimis asperitatis &
immoderationis accusas, absque circumscriptio-
ne, interpretamento, & exceptione probaturos, inepte
dicis: cum contra potius, ut tibi congrueret,
hanc illas uti suam, nullo addito severiori & as-
periori interpretamento probaturos, dicere debuis-
ses. Ita quippe, si minus veritas, ac congruus,
tuoque aptus instituto sensus constaret. Ad id
obiter, uti monui.

Quin itaque huic meæ propositioni subscripu-
ri sint Jansenistæ illi tui, ac etiam Calviniani,
non inficiat: uti plane dubium nullum subit,
quin Augustinianæ, quam compendio reddidi,
assertioni pari ratione calculum adderent. Verum
nihil illos addituros præterea, ut erroris sui fen-

(a) Sans restriction, sans explication, sans exception. (b) Pag. 7. (c) Pag. 8. (d) Pag. 7. Telque vous
le figurez &c. (e) Pag. 5. Qu'il vous plaisir d'appeller son sens naturel &c.

sum exprimerent: quasi iis solis gratiæ indeclinabilis & insuperabilis, seu quod idem est, indeclinabiliter & insuperabiliter agentis vocibus, Calvinianus ac Jansenianus error expressus sit, plenum temeritatis atque calumnie probrum est. Id a te
plenis buccis millies ingeri, minus miror, qui
Calvinianum errorem gratiæ se ipsa efficacia voca-
bulo, Catholicarum Scholæ arum ubi consecra-
to, congruenter exprimi, edito nuper de gratia
efficaci Tractatu Theologico, apertissime docui-
sti. (b)

Quartum a te mihi tam fidenter afflicta palinodia specimen, quod nempe propositionem hæc
meam, totidem verbis in Augustino non esse falsam
sim, præ reliquis vanum ac frivolum est. Equi-
dem, uti superius innuebam, si omnes ac singu-
las, quæ constata est propositio, voces ac syllabas
spectes, in Augustino non haberi, hæc ægre
dedi. At si illas ipsas voces attendas, quæ
errorem tam liberaliter affricabas, hæc in Augu-
stino, ac etiam majori dictionis nervo, contineri
professus sum (c) nec ovum mihi visum est
unquam ovo similis, quam gemine ista, quod
integrum sensum attinet, assertiones.

Homo lapsus INDE-
CLINABILI ET IN-
SUPERABILI gratia
eget, ut bonum agat, INDECLINABILI-
TER ET INSUPERABILITER ageretur;
& ideo quamvis infirma, non tamen desce-
ret, neque adversitate
aliqua vinceretur.

Ultimum, quod propositionis in se ipsa specta-
te damnationi subscripsit, a vero longius abit.
Quem sensum propositio illa mea, a sua ipsius
sede & adjunctis avulsa, si cavillandi adesset ani-
mus, posset induere, non expendi, quod repel-
lenda criminationi nihil esset opus. Satis quippe
superque erat, si ab adjunctis, a sine, a scopo
dehinc, Augustinianam gratiæ se ipsa victricis
sensum, multo evidentius & certius accipere demon-
strarem. Ac tantum abest ut avulsa propo-
sitionis sensum obvium, quem verba ipsa præ se
ferant, Calvinianum ac Jansenianum, ut obtru-
debas, esse concesserim, ejusque idcirco damna-
tionis subscripsit; ut contra potius figmentum
id esse, & a te pro arbitrata fabricatum ac fi-
ctam discretissime pronuntiarim. Congere, inque-
bam pag. 7. (d) arguitis mille, ut propositionem
hanc, nativo ac simplici sensu, QUALEM TIBI
IPSE FINGIS, acceptam, hæreticam probes. Et
pag. 5. (e) Nationem, QUEM PRO ARBITRATA
SENSUM APPELLAS, Lutheranas, Calvinianas
ac Jansenianas notiones illius verbis AF-
FINGENS &c. Næ te itaque Augustini mei ver-
bis compellere mihi liceat: Tu vir honestus ac
verax abstulisti verba quæ dixi, & dixisti quæ
finxisti. Redde ergo verba mea, & vanesce calumnia
tua? Lib. 4. primi Operis contra Julianum
cap. 8.

Ceterum si nativum & obvium hujusce meæ
assertionis, ab omnibus adjunctis avulsa, sensum,
scire aves, datur gratia indeclinabilis & insuperabilis;
illum ipsum habeto, qui hujusce, quod
compendio reddidi, Augustiniani esset, a suis
etiam adjunctis avulsi esse debet, datur gratia indeclinabiliter & insuperabiliter agens. Aut ergo
Augustinum damnabis mecum, aut me absolves
cum Augustino. Sed est illa, ut video, calliditas
tua, quod cum Augustini propositionem aperta fron-

fronte ac detracta larva fugillare pudeat, ne pub-
licate bonorum omnium fures invidiam; hæc
cate silentio premas, ac de mea tantummodo di-
cas. Quasi aliud ego, quam Augustini dictum,
ab Launojo erroris insimulatum, compendio red-
dere ac vindicare instituissem: aut tu aliud, tot
illis criminationibus, apud æquos æstimatores,
velis nolis, agere convincaris, quam ut sub meo
tandem corio vapulet Augustinus. At de his plu-
ra in nostris Thomistice Scholæ vindiciis, Ani-
madversione trigesima, ubi proculum a te de Gra-
tia indeclinabiliter & insuperabiliter agente, de-
que dono perseverantia absonum paradoxum, ab
imis fundamentis evertimus.

V I.

Relicto Theologico argumento, ad ingenium
redis, ut fabulam agas. Comœdiæ tribus (a)
actibus distincta specimen subjicis, qua (b) Vir
suis ingratis Jansenista luderetur; minique prima-
rum partium personam imponis. Me itaque actu
primo Jansenistam representas, ob defensam,
de qua superius egimus, assertionem. Altero, expur-
gationem a me datam spectatoribus objicis.
Tertio, me meis ingratis Jansenistam pronun-
tias: quod mea illa assertio, Augustinianæ peri-
odi summam contineri responderim. Te tamen,
ut es summe ingenuus, in hoc ultimo inducendo
Episodio admodum impeditum fateris, ne videlicet
a verisimilitudine abstrahere spectatoribus vi-
deatur. Tum postea, misso joco, assertæ a me
propositionis delationem ad Sedem Apostolicam
& Episcopos faciendam, de gravi supercillio mi-
nitaris.

Si quot tu, tuique similes, suis ipsorum ingra-
tias facitis Jansenistas, distinctis fabulis luderet,
verore ne tu unus Statio simul omnes, ec Plau-
tos, Licinius, Attilios, Terentios, Turpilios,
Lucios, Ennios, & quidquid usquam Comico-
rum fuit, scriptis comœdiis superares. Millenos
enim quoris horis, quovis ex ordine fabricamini:
non qui tales re ipsa cum sint, haberique pro ta-
libus nolint, suo a vobis vocentur nomine: sed
qui cum a Jansenianis erroribus procul absint, ac
ipsas plerumque gratiæ controversias ne quidem
extremis labiis attingerint, pleno invidiæ nomine
compelluntur. Atque mirari subit, adeo te in
claudenda fabula laborare; ne forte tuum illud,
quo meis ingratis Jansenista pronuntior, episo-
dium minus verisimile videatur. Sat erat, ut
cuncta belle congruerent, si te ipsum (ut in epi-
sodiis sæpe fit) ex improvviso in scenam inferres,
actumque ultimum luderet: quo me quantalibet
expurgatione absolutum, nihilque commune cum
Jansenianis erroribus habentem, pro summa ta-
men, quæ tibi ad fingendos creandosque ex arbi-
trio Jansenistas data est, potestate, meis ingratis
Jansenistam e tribunali pronuntiares. Hic aptus
fabulæ exitus, hæc mihi clausula; qua non Jan-
senista suis ipsius ingratis factus, sed summus
Jansenianorum creator ac fidor pro meritis lude-
retur. Fœlicem Comœdo te atque ludione Janse-
nistam! Hunc summe catholicum esse oportet,
quem nonnulli theatralis ac scenicus Inquisitor
hæreticum & dicit & facit.

Quam me porro, tam longe distitum, minæ
tuæ modice tangant, vel ex eo, si sensum habes,
intelligere potuisti, quod ne illos quidem affecer-
int, qui tam prope ab aëdibus tuis, hæc ipsas,
quas ad supremos Judices te delaturum minitaris,
loquendi formulas, suis nuperime thesibus propa-
guarunt. Ea quippe Menfe, ni fallor, Augusto

proxime elapso, Sorbonicis Theſibus assertio in-
ferta est, subscribente de more Borentissimæ Aca-
demie Syndico, Theſiumque Censore: Gratiam
efficacem non ex voluntatis assensu, non ex mediis
congruis assero; sed illam se ipsa efficacem arbi-
tror. Illius efficaciam ex Dei omnipotentis dominio,
ex nature corrupte indigentia ac dependentia; uno
verbo, ex se ipsa, per se victrici, & INSUPERABILI GRATIÆ NATURÆ. Nec minus,
opinor, declamationes illas tuas, tertiumque fa-
bulæ tuæ ludum derisisset piissimum æque ac do-
ctissimum Contentonius, qui recitata celebri illa
Augustini periodo, ejus summam propositionem
mea contineri responderam, ita demum pari me-
cum compendio colligit, Libro 8. Theologie men-
tis & cordis Dissert. 1. cap. 2. spec. 2. Vides ea-
tenus Augustinum velle, nos egeri gratia invictissi-
ma, INDECLINABILI, victrici, & per se effi-
caci; quia voluntas nostra peccato infirmata, & vi
concupiscentiæ corrupte illæta, absque hujusmodi for-
tissimo adjutorio deficeret. Cui certe prestantissimi
Theologi assertioni, mea illa, quæ tibi oculos
urit, adeo similis est propositio, ut illo inter-
prete ac monitatore, Augustinianæ periodi sum-
mam collegisse videri possem, nisi adeo plana res
esset, ut nullo, in summa colligenda, Doctore
sit opus.

V I I.

Absolute, ut tu quidem existimas, (c) con-
statæ mihi accusationis capite, ad ea quæ tibi cri-
mini dederam diluenda, transiitum facis. Ac primi-
mo quidem, quo te calumnie postularam, quod
me Jansenianis fœdere junctum vocitasses, verum
esse contendis. Idque ut probes, Epistolarum mearum
excerpta, ad quæ exhibenda te provocave-
ram, recenti vestra Auxiliorum Historia contineri
ais. Tum postea in Quæstionum declamas,
quem meæ Auxiliorum Historiæ ex parte saltem
Auctorem facis.

Gradum deferis, Amice, ac pedem refers: ac
tum maxime dum provocationi videri vis respon-
diffe. Neque enim te de proferendis simpliciter
Epistolis appellavi, qui me potius in Belgium,
ubi quoscumque libet Jansenianos comminiceris,
ad librorum quorundam editionem procurandam
scripsisse, tam ingenue fassus sum: sed de iis, si
potis esses, literis exhibendis, quæ me ar-
porum dogmatum communiōne, ac occultaram,
viroque religioso indignarum artium molitione,
cum mortalium aliquo conjunctum esse ostende-
rent: ac etiam quæ me conficta ex coadictio nomi-
na, occultasse notas, unde vel levis occultis
alicujus consilii suspicio suboriri posset, (etsi nec
inde summo jure suboriretur) inter scribendum
usurpasse convincerent. Hujus porro generis nul-
las exhibet tua illa, quam jactas, Auxiliorum
Historia: ut hinc plane vadiumonium defuisse
publice convincaris. Tu-ne unquam in Angliam
atque Bataviam, privati commodi studio, litteras
destinasti? Aut forte quotquot illuc, mercaturæ
causa, litteras scribere deprehendes, violatæ reli-
gionis ac fidei, inique cum hæreticis fœderis
accusabis? At commodior ea de te dicendi se
dabit occasio, in ea quam paro illius Historiæ
eventilatione; ut tuam illam, qua me territum
velles, fabularum & conviciorum struem evertam.
Interea noveris, nullum mihi cum Quæstione,
dum Historiam scriberem, litterarum commer-
cium extitisse: nec suas illum, aut mortalium
alterum, in eo adornando Libro, operas contu-
lisse.

(a) A pag. 8. ad 12. (b) Le Janseniste malgrè luy (c) Pag. 13. 14. 15.